

91
Subl. in Theol. rec. Th. Ann. 614
7
14
1599
DISPUTATIO TRIMA.

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori:

Cujus positiones,

Divina adjuvante gratia,

Præside

DAVIDE RYNGIO S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Vvitebergensi defendet

29. Aprillis

M. CONRADUS RUHELIUS
Vvitembergensis.



VVITTEBERGÆ

Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus

Pauli Helwichij, Anno 1599.



REVERENDO,
CLARISSIMO, ET DE ECCLB

SIA IESV CHRISTI OPTIME

merito, merentiq;

D. POLYCARPO LYSERO

Theologo Electorali Saxonico;

*Affini. Patrono suo non postremo; testificandæ
gratitudinis atq; observantiæ causâ, posi-
tiones hæc Theologicas consecrat.*

M. CONRADUS RUHELIUS
VVittenbergensis.

Argumentum Epistola Paulina posterioris ad Corinthios.

Dosteriori Epistola Apostolus Corinthiam Ecclesiam varijs erroribus & scandalis, nec non multiplici *et* *et* in disciplina Ecclesiastica & ceremonijs, & licentia libidinum foedè deformatam repurgare, pristinoq; nitenti restituere fuit conatus. Hic labor Apostoli non fuit inanis in Domino, sed in Ecclesia Corinthiaca varios animorum motus excitavit, tam apud docentes, quam auditores.

Quidam enim, agnitis erroribus & scandalis suis, gravissimo dolore & luctu propter offensum Deum, Ecclesiam & Apostolum, fuerunt oppressi, atq; inter eos etiam is, qui propter incestum commissum à Paulo excommunicatus erat 1. Cor. 5. Alij verò omnes commonitiones ac comminationes Apostolicas securè irridebant; Nonnulli acerbitatem orationis Paulinae accusabant. Et hæc quidem vulgi erant iudicia de Pauli priori Epistola: Doctores verò Ecclesiasticæ Corinthiæ acrius paulò ab Apostolo reprehensi planè tanquam in furorem versi contra Paulum hostiliter insurgent, ejusq; ministerium contemnebant, quòd neglecta Mosis & Legis splendissimæ tractatione omnem operam in docendo Evangelio consumeret; quòd vilis & abjecta esset persona, & tamen magnam licentiam usurparet reprehendendi alios autoritate, splendore & donis superiores: quòd deniq; non è numero duodecim Christi Apostolorum, atq; ideo inferior ordine reliquis meritò habendus esset.

Falsus p[ro]fess[us]
do aposto-
lorum Co-
rinthiaco-
rum.

Hanc iudiciorum varietatem, cum per indicium accepisset Apostolus, alteram hanc ad eisdem Corinthios scripsit Epistolam, partim consolatoriam, dum mæstos so-

Plena pia-
rum com-
monefacti-
onum est
tota Epi-
stola.

latur & erigit spe veniæ, & causas commemorat, quare
tanta vehementia reprehenderit publica Ecclesiæ scan-
dala: partim apologeticam adversus pseudo apostolorum
criminationes, Simul autem multas alias commonefactio-
nes de perseverantia in studio pietatis, patientia & con-
fessione doctrinæ, de fugiendis idolis, de contributione
Eleemosynarum in usum pauperum, qui erant Hieroso-
lymæ & similibus rebus intexit, ac deniq; profanis con-
temptoribus minatur severitatem animadversionis, qua
præsens in Ecclesia usus sit adversus contumaces. Per-
tinet igitur partim ad genus deliberativum, partim ad ju-
diciale, quia membra παραμυθητικά, ἀπολογητικά & προσηπτικά
variè mixta sunt.

Dispositio Epistolæ.

Partes Epistolæ hujus secundum capita tractationis nu-
merari possunt quinque:

Prima parte post salutationem & Exordium, reddit
rationem dilati hactenus adventus sui ad Corinthios
cap. 1. & quædam de pœnitentis incesti receptione
admiscens, de sua profectioe in Macedoniam disserit
cap. 1. & 2.

Præfertur
Evangelium
Legi.

Secunda apologiam ministerij Evangelici opponit
Legis præconibus & laudatoribus capit. 3. 4. 5. qua præ-
ferens longe Evangelium Legi ostendit, quanta ejus lux
sit & perspicuitas, quanta Satanae adversus Christum &
Evangelium odia, quam misera Apostolorum condi-
tio, quanta crucis utilitas, quæ credentium spes. Atq; hæc
omnia refert ad apologiam obtrectatoribus opponen-
dam, sicut ipse dicit cap. 5. v. 12: Occasionem vobis da-
mus gloriandi pro nobis, ut habeatis, quod dicatis ad eos,
qui ex facie gloriam captant & non ex corde. Hanc de-
niq; tractationem de ministerij dignitate valdè emphati-
cè concludit epilogo cap. 5. à v. 13. usq; ad finem.

Tertia

Tertia pars est *πρὸς ἐπιτιμήν*, qua Corinthios ad studium novæ obedientiæ atq; innocentia, & patientiam in ærumnis hortatur, ut idola atq; communionem cum idolatriis fugiant, cap. 6. Et totam hanc suam operam ex intimo charitatis affectu proficisci religiosè testatur cap. 7. monetq; ut eleëmofynas conferre pergant in usum pauperum Iudæorū, exemplo Ecclesiarum Macedonia c. 8. & 9.

Quarta pars alterum apologiæ membrum continet, oppositum virulentis pseudoapostolorum criminationibus, qui dona, vocationē & labores Pauli extenuabant: His defensionis loco opponit vocationis suæ divinæ argumenta, multa in Ecclesiam merita, longum catalogum certaminum & persecutionum, & revelationes divinitus sibi factas: quæ omnia non ad vanam ostentationem, sed ad Ecclesiæ ædificationem se commemorare cap. 12. v. 18 testatur. Hac apologiā tria consumuntur capita, 10. 11. 12.

Postrema & quinta pars brevem initiō continet commonefactionem ad contumaces verbi contemtores, quibus rigidiorē censuram in adventu minatur suo; ac deinceps generalibus præceptis & votis Epistolam concludit, cap. 13.

Theses.

VT autem in conspectu sit Epistolæ hujus insignis utilitas brevem *σύνοψιν* aliquot doctrinæ Christianæ articulorum, quorum pleraq; in controversiam à veteribus vel recentioribus hæreticis vocata, hujus Epistolæ sententijs perspicuè deciduntur, servato capitum ordine, subiiciemus.

I. Deum verum unum esse *θεῖον* & trinum personis, ostendunt dicta hujus Epistolæ, opponenda Ethnicorum, Samaritanorum & Sabellij blasphemijs cap. 1. v. 2. & cap. 13. v. 13.

Series locorum præcipuorum doctrinæ Christianæ.

II. Eadem dicta divinitatem filij Dei Domini Nostri Iesu Christi arguunt, quæ eundem honoris gradum.

A 3

eandem

eandem operandi efficaciam, eademq; beneficia filio as-
scribunt & Patri. cap. 1. v. 2. & 19. cap. 4. v. 4. & cap. 5.
v. 19. III.

Spiritus Sancti quoq; æterna Deitas manifestis hujus
Epistolæ testimonijs confirmatur, ut quòd dicitur Iehova
Spiritus, eiq; vis ascribitur transformandi nos ad sum-
mam claritatem cap. 3. v. 3. & 18. cap. 13. v. 13.

IV.
Christum Iesum non tantum verum Deum, Deiq; fi-
lium esse, sed etiam verum hominem contra Marcionita-
rum figmenta luculenter ostendit hujus scripti caput 5. v.
14. cap. 8. v. 9.

V.
Eundem Christum mediatorem esse humano generi
datum divinitus, contra Iudæos docet textus capitis 5. v.
14. & 19. Item cap. 3. v. 4. Sponsum Ecclesiæ cap. 11. v. 2.

VI.
Christum Iesum passum esse pro totius mundi, adeo-
que pro omnium hominum, tam electorum, quam repro-
borum peccatis, contra Calvinistarū furores docet Pau-
lus cap. 5. v. 14. 15. 19.

VII.
De Diabolis, quòd sint, & quomodo se in angelos lu-
cis transforment, nec non mentes reproborum excæ-
cent, contra Saducæos & Epicuræos docent hujus Epi-
istolæ dicta cap. 4. v. 4. cap. 11. v. 14.

VIII.
De ingenti *advantia* humanarum virium in rebus Spi-
ritualibus, contra Pelagianos, Papistas & Synergistas
agit Apostolus cap. 3. v. 5. cap. 10. v. 5.

IX.
Indurationis & excæcationis causam energeticam
non Deo, sed malæ hominum voluntati, ac Diabolorum
malitiæ

malitiæ transcribendam esse, contra Stoicos, qui Deum autorem faciunt peccati, asserit Paulus cap. 4. v. 4.

X.

De Lege & Evangelio, & de utriusq; doctrinæ discrimine, deq; Evangelij præstantia, longè post se relinquente Legem, luculentissimè differit Apostolus toto capite tertio, & in sequentibus multa membra huc spectantia repetit.

XI.

Christianæ poenitentiae exempla contra Novatianorum deliria suppeditat hæc Epistola capite 2. v. 7. & 7. v. 10. deq; ejusdem partibus, contritione & fide, mortificatione & vivificatione cap. 3. v. 6.

XII.

De gratuita justificatione peccatoris per imputationem gratiæ Dei, & justiciæ Christi, contra Papistarum hypocrisin loquitur textus capitis 5. v. 15, 16, 19, 21.

XIII.

Simul cum gratia justificante conjunctum esse donum renovationis, & transformationis nostræ per Spiritum Sanctum docet textus cap. 3. v. 18. De donorum discrimine cap. 10.

XIV.

Reprobationis judicium unde sit capiendum, ostendit Apostolus cap. 13. videlicet, si quis seipsum probans, sit ne in fide, Christum in se habitantem per fidem non possideat v. 5.

XV.

De bonis operibus, de studio novæ obedientiæ: de diligentia cavendi scandala: & Christiana perseverantia in bono pietatis proposito; de Eleemosyna, & similibus exercitijs virtutum pietatis, patientiæ & misericordiæ graviter concionatur Apostolus cap. 6. 8. 9.

XVI.

In Ecclesia, visibili malos bonis admixtos esse contra Donatistarum, & Catharorum deliria docet cap. 1. v. 1.

7. De

XVII.

De ministerij Ecclesiastici institutione, administratione, efficacia, dignitate, conditione miserrima, afflictissimaq; in hoc seculo, contra Enthusiatarum somnia & Papæ politicum splendorem, plurimi loquuntur textus hujus Epistolæ, ut capit: 3. v. 3. cap. 4. v. 1. 7. cap. 6. v. 4. cap. 7. v. 6. cap. 11. & 12.

XVIII.

De Cruce & calamitatibus Ecclesiæ, earumq; causis & consolationibus cruci opponendis passim hæc Epistola agit cap. 1. 4. 6. 12.

XIX.

Doctrinam Apostolorum esse immotæ certitudinis, sibiq; constare in omnibus capitibus, affirmat Apostolus cap. 1. v. 19.

XX.

Libertatem Christianam complectentem omnia beneficia Evangelij notat Apostolus cap. 3. v. 7. Eandem verò à licetia distinguit & certis includit metis cap. 6. v. 14.

XXI.

Curam pauperum & honorum Ecclesiæ ad inspectionem fidelium pastorum pertinere, contra fanaticorum sententiam confirmat Paulus cap. 8 & 9 hujus Epistolæ.

XXII.

De morte & statu animarum post hanc vitam, corporum resurrectione, judicio extremo & vita æterna dulcissime loquitur Spiritus Sanctus cap. 5.

XXIII.

De hisce summis rebus spectantibus ad veram Dei agnitionem, fidem, pœnitentiam, invocationem, gratiarum actionem, ad firmam spem & consolationem in adversis, ac deniq; ad multarum controversiarum in rebus Theologicis perspicuam dijudicationem, cum hæc Epistola traçter, tanquam insigne Spiritus S. *καταλλογ* Christianis omnibus commendatissima esse debet.

Soli Deo gloria.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle 3
002 392 011




TA → OL

VD17

Retrokonv.,





91

Dublin Theol. sec. Th. Kun. 614

2
11

DISPUTATIO TRIMA.

EX EPISTOLA

PAULI AD CORINTHIOS

posteriori:

Cujus positiones,

Divina adjuvante gratia,

Praside

1599

DAVIDE RVNGIO S. S.

THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE

in Academia Vvitebergensi defendet

29. Aprillis

M. CONRADUS RUHELIUS

Vvitembergensis.



VVITTEBERGÆ

Typis M. Georgij Mulleri, Sumptibus

Pauli Helwichij, Anno 1599.

